

**Calculos in vesica fellea repertos disputatione hac inaugurali medica ...  
submittit auctor Joh. Jacobus Fischerus / [Johann Jacob Fischer].**

### **Contributors**

Fischer, Johann Jacob, active 1724.

Camerarius, Elias, 1673-1734.

Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Josephi Sigmundi, [1724]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dtuetnhz>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.  
CALCULOS  
IN

VESICA FELLEA  
REPERTOS

DISPUTATIONE HAC INAUGURALI MEDICA,  
ASSISTENTE DIVINA GRATIA,  
JUSSU ET AUTHORITY GRATIOSE FACULTATIS  
MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, EXPERIENTISSIMI AC EXCEL-  
LENTISSIMI,

DOMINI

ELIÆ CAMERARII,

MEDIC. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDIN.

SEREN. WURTEMB. DUCIS CONSILIARII ET  
ARCHIATRI CELEBERRIMI,

DOMINI FAUTORIS, PATRONI & PRO-  
MOTORIS PIE DEVENERANDI,

PRO LICENTIA

Capessendi legitimè Honores Doctorales

Publico Eruditorum Examine submittit

AUCTOR

JOH. JACOBUS FISCHERUS, Foro-Tiberianus.

Ad D. Aprilis Anno MDCCXXIV.

Hor. Locoque Conf.

TUBINGÆ, Typis JOSEPHI SIGMUNDI.

**V I R O**  
**PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSI-**  
*MO atque DOCTISSIMO,*  
**DOMINO**  
**JOH. HENRICO BENCKERO,**  
Ecclesiæ Reformatæ, quæ Dieffenhofæ est, Pa-  
stori Vigilantissimo æquè ac Dignissimo.

*Præterea*  
**BIGÆ FRATRUM GERMA-**  
**NORUM,**  
**V I R I S**  
**NOBILISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS ac**  
**EXCELLENTISSIMIS**  
**DOMINO**

**ERHARDO BRUNNERO,**  
Solingensium Physico atque Copiarum, quas  
Seren. Elector Palatinus alit, Medico Felicissimo  
& Dexterrimo.

*Atque*  
**DOMINO**  
**JONÆ BRUNNERO,**  
Med. Doctori & Practico Dieffenhofæ Celeberrimo,  
*Dominis Patronis & Avunculis Hono-*  
*ratissimis,*

Hanc Dissertationem suam Inauguralem;  
Cum obsequiosâ sui commendatione  
Non sine pio ad DEUM voto pro salute ipsorum omnigena,  
*dedicat AUCTOR*  
**JOHANNES JACOBUS FISCHERUS.**



**H**omo, divinum illud opificium, totius ferè in se universi reconditos thesauros gerens, cunctisque, quæ suo mundus ambitu continet, animantibus præstantia ac nobilitate antecellens, quantiscunque etiam à Sapientissimo Creatore exornatus fuerit beneficiis, tantis tamen post perniciosum, & toti generi humano gemendum lapsum subjectus est ærumnis, ut non immeritò infelicis omnium miseriarum epitomes nomen sustinere possit. Haud equidem illi, qui primis potissimum vixerunt seculis, adeò numerosam morborum stragem experti sunt. Ast depravatâ postmodum victûs ratione ex hac, tanquam ex Pandoræ pyxide, totidem prorepserunt morbi, ut, utrum

rerum naturalium scrutatoribus inventorum, anne verò morborum, aliâ atque aliâ facie corpora mortalium misere exagitantium, numerus prævaleat, ambigere aliquis meritò possit. Quanto magis hoc fieri necesse est, siquidem, quæ durum non immeritò vocatur telum, necessitas & curta rerum omnium supellex, atque extrema tandem indigentia, cogunt hominem ad conquirendum ubicunque potest cibum, & replendum, fame non semel jam emaciatum, ventriculum.

Quod ipsum sicuti fatum fuit quondam pauperculæ alicujus virginis, honesti cæteroquin inter nos civis filiæ; Sic malorum quoque ilias, quæ per ultimos vitæ annos sustinuit, & repertorum in cadavere curiositas, digna mihi visa fuit, quæ pro Themate Disput. Inaug. seligerem & vires meas ac profectus qualescunque tentarem. Equidem benè novi, hoc ipsum thema meum, nec raritate suâ, nec commentatione & expositione mea Lectoribus sese commendaturum. Quia tamen liberum fuerat, thema seligere quodcunque placeret, hunc ipsum verò casum mihi commendaverat, qui studiorum meorum Auctor atque Ductor diu fuerat, Excellentiss. Dn. Doctor BRUNNERUS, Avunculus meus Honoratissimus, quapropter

propter illum quoque volui retinere & exponere, vel ideo, quòd facilius mihi quidem futurum credidi, vires meas experiri circa casum, quem ipse quondam apud laud. modò Avunculum non semel saltem audivi, sed autoptes etiam vidi, atque tandem post obitum sectioni ejusdem ac inspectioni adstiti. Adhucdum enim hodie verum est, quod legitur apud Poetam :

Segnius irritant animos demissa per aures,

Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.

Tu modò, *Lector Benevole*, Primitiis hisce meis fave, & sicubi vel cespitavero, vel erravero, ignosce.

## CASUS.

**U**vencula, Sutoris filia, annos circiter 20. nata, temperamenti cholero-melancholici, quemadmodum serò admodum lunare tributum incepit solvere, sic ejusdem anomalias & emanationes subinde postmodum experta est, faciei colorem ab ultima quidem retro infantiâ pallidum, per ultimos autem vitæ annos ex bruno flavum exhibens, & à multo jam tempore languere ac marcescere incipiens, tandem conqueri cœpit de dolore obtuso *carpi dextri*, qui tandem intumescit & obrigescit. Accusari primò voluit quædam subluxatio; unde per spir. vin. camphorat. tumor prius discuti, dein luxatum os reponi voluit, sed frustra. Hinc igitur ad emplastra ventum est; quo-

rum varia fuerunt tentata & usurpata, sed itidem incassum. Apertus enim postmodum in parte inferiori carpus, ad radicem ferè volæ manus, non procul à loco, quo pulsus alias solent explorare Medici, postquam diu tenuem ichorem saniosum fudit, & consolidationem omnem recusavit, tandem in *ulcus* antiquum transiit. Quod cùm per biennium copiosam saniem funderet, vires autem atque habitum corporis ægrotæ penitus consumeret, illa tandem œdematoso modo in inferioribus subtumere, desuper autem tabescere cœpit, donec postmodum accedente, & ad mortem usque durante Diarrhœa colliquativâ in statum sceletiformem penitus redacta, placidè tandem exspiravit, mense novembri A. 1719.

Curiosus igitur, de internarum partium constitutione æquè ac de ulceris etiam penitiori conditione, Medicus Avunculus, cadaver cultro subjecit anatomico, & in illo sequentia deprehendit notatu digna: In ulcere quidem *ossa carpi* omnia *carie*, partim penitus *consumpta* & *absumpta*, partim undique & undique *arrosa* & digitis friabilia fuerunt deprehensa. Viscera verò, quod mireris, tantam labem vel à statu naturali recessum manifestum non exhibuerunt, si pallorem hepatis & flacciditatem intestinorum ac ventriculi (cujus pyloro facile digiti ferè omnes quinque unius manus poterant inferi) excipias. *Vesicula fellea* benè magna & bile turgida, cùm aperiretur, exhibuit non modo novem *calculos* phaseoli semen magnitudine æquantes, verùm etiam insuper copiosam ejusmodi *arenam* sabulosam, piscium ovulis non malè forsan comparandam.

*Bilis* ipsa quantitate non peccavit, ejus enim sufficiens omninò quantitas adfuit; Qualitatis autem vitium erat admodum notabile, quippe defecit à statu naturali tam in colore & consistentia, quàm in sapore; Scilicet paucis: *alba* erat, tenuis,

tenuis, fluxilis, *aquea & insipida*, etiam inodora, tam in cystide, quàm in ductibus bilariis per hepar dispersis.

Fuerunt autem isti calculi ex rotundo angulosi, glabri, admodum leves, digito facilè friabiles, extus nigri, intus lutei, cum striis, quasi fibrarum ordine à centro ad peripheriam tendente. Super linguam detenti atque dentibus comminuti fuerunt saporis ferè nullius, certè non amari, neque tamen merè terrei, vel margacei, sed potius molliusculi & quasi butyrosi. Super carbones facilè liquati dederunt multum fumum, absque tamen foetore notabili, absque etiam carbone quodam relicto. Super ferrum autem in candelæ flammulâ detenti & incalescentes, colliquescere statim cœperunt, & in liquorem crassiusculum luteum abire, qui ab admissâ tandem lampade flammulam facilè concepit.

Hos ergo calculos, in vesicula fellea repertos, selegi potissimum pro themate meo, cujus proin expositionem & illustrationem vix melius aggredi licebit, quàm dispiciendo de historiis parallelis, & conquièrendo ex observationum medicarum promptuariis casus, huic nostro vel similes vel analogos quoscunque.

Equidem plerosque illorum deprehendo stipatos *ictero*, ita quidem, ut post atroces hypochondrii dextri dolores, vel præcordiorum anxietates, venerit tandem morbus ille regius, & per alvum cum fœcibus excreti fuerint calculi. Talis omninò est historia, quam recenset *Sorbait*, Oper. Med. Tract. VI, Cap. V. de muliere 36. ann. quæ temperamenti sanguineo biliosi, habitu corporis gracili, post admissos in diætâ errores multos, derepente incidit in icterum, cum oris amarore, totius corporis languore, nausæâ, siti, cephalalgîâ, & simil. excrevit verò tandem, tinctura flava iterum remittente, aliquot per alvum calculos, pondere levissimos, & aquæ innatantes. Item illa



illa, quam in *Misc. Nat. Cur.* Dec. III. A. IX. & X. recenset *Dillenius*, de foeminâ Ictericò - colica, quæ post varia incassum usurpata, tandem enemate feliciter injecto, per alvum cum stridore excrevit lapillos plusculos, fulvos omninò ac si bile tincti essent. Et, quæ *B. Dn. D. Mezgero*, Prof. Med. quondam in hac Universitate Celeberrimo, occasionem videtur dedisse conscribendi suum *λειτουργεσίας* scrutinium, septuagenaria foemina, quæ post atroces dolores colicos, & icterum tandem enatum, sub alvi depositione sensum primò habuit, ac si ceraforum nuclei simul ejacularentur, postea verò curatius in seq. alvi solutionem inquirens, ultra 30. calculos triangulares & copiosissimam insuper materiam arenosam granulatam deprehendit. Non prodierunt hoc modo vel excreti fuerunt sponte calculi, quos describit *Nicol. Guil. Beker*, in *Misc. Natur. Cur.* D. I. A. I. O. XLIV. deprehensos scilicet in cadavere Archiatri Cæsarei, qui postquam atrocissimis doloribus ischiadicis, asthma item & orthopnoea ferè confectus esset, tandem ictero superveniente succubuit, & in vesicula felleâ exhibuit 72. lapillos, coloris ex flavo nigri, magnitudine fabarum minorum ac pisorum; Similes proin illis, quos recenset *Bonetus* in *Anat. pract.* L. III. Sect. 18. repertos in sexagenaria vetula Bononiensi, quæ diutissimè auriginoso laborans morbo tandem quoque fatis cessit. Et propter raritatem forsan suam non prætereundi lapides cœrulei, quorum plurimi dicuntur splendidi, angulosi, & superficietenus ita inter se cohærentes, ut unus modò lapis primùm visentibus judicatus fuerit, reperti omnes in vesicula fellea foeminæ, pertinaci ictero tandem mortuæ, prouti constat nobis ex ejusdem *laud. Boneti* *Anat. pract.* l. c. Quibus subjungi meretur alius, in eodem folliculo fellis repertus, calculus orbicularis, ex novem aliis figuræ triangularis sibi invicem incumbentibus lapillis constans, coloris subviridis & splendentis; referente eodem *Boneto* *Med. Sept.*

L. III. Sect. XIX. cap. 27. Imo spectant huc illi XXX. lapilli, quos, carbunculi instar pellucidos, in vesicula biliaria dissecti quondam liſtoris deprehendit Dn. *Georg. Scarpius*, Prof. Reg. in Academ. Monspeliensi. Alios in cystide fellea deprehendit *Hagendorn*, ex viridi nigricantes, ponderis levissimi, saporis amaricantis, magnitudine nucis moschatae minoris, quos prolixius descriptos legimus in Eiusdem Histor. Med. Phys. Cent. XI. histor. 8. Uti vicissim gypseos tales & candicantes fuisse repertos docet obs. 77. *Misc. Natur. Cur.* Dec. II. Ann. V. Et *Alex. Deodatus* in vesiculâ dictâ deprehendit tres lapides castaneam æquantes, figurâ triquetrâ, nigros & gagatem referentes. Alium nucis juglandis magnitudine, ex una parte nigrum, ex altera croceum deprehendit & recensuit *Fabr. Hildan.* cent. I. obs. 60.

Nefas foret silentio præterire calculum tantæ molis, ut totam ferè cystidem repleverit, quem invenit *Timæus à Guldenklee* in quodam post diuturnos dolores arthriticos primò in icterum incurabilem, tandem verò etiam in ascitem incidente, prouti videri est in *Laud. Aut.* L. III. C. 28. cui proin ad latus omninò poni potest simile exemplum, quod allegat *Mæbius* in *Physiolog. Med.* cap. 15. & alterum, quod occasionem dedisse videtur libello, cui tit. *Lithographia Curiosa*, quem edidit *Godofr. Stein*, Archiater Brandenb. Nec minus observatio *B. Dn. D. Wepferi*, quæ legitur in *Misc. Nat. Cur.* D. III. Ann. II. nr. CXLIX. de jlei fistulâ, extra abdomen perviâ, quippe in illius virginis cadavere laud. *Wepferus* duos quoque calculos felleos, magnitudine nucis moschatae, ex oblongo rotundos, levissimos, flavescentes, cretaceos deprehendit. Quibus tandem licebit adjungere calculos in vesicula fellea repertos, Apoplexiæ auctores, quos in laud. *Misc. Nat. Cur.* Cent. III. A. IV. O. CXLIX. proponit *Heldius*, conformiter illis, quæ ob-

B

serva-

fervavit in ægroto suo *Gerbezius*, prouti constat ex earundem Misc. Nat. Cur. Cent. I. & II. O. LVII.

Sed in viam redeundum, neque nudæ historiæ vel casuum similium recensio saltem diutius inhærendum est. In originem ergo calculorum nostrorum & generandi modum inquisituri non necessarium esse ducimus prolixè hic occupari circa negotium bilis, ejusque statum naturalem, secretionem, & usum, quippe quo labore feliciter defunctus est Celeberrimus Italicorum Anatomicus, *Joh. Bapt. Bianchi*, editâ sua *Historia Hepatica*, ad quam Benevolum Lectorem remittere fas est. Calculorum modò genesis rimari, adeoque in originem eorum & phœnomena inquirere animus est. Quod ipsum dum aggredior, non possum non primo statim loco mentionem facere *Paracelsi*, qui per suum *Tartarum* rem omnem exponere satagit, & præten dit, inesse humoribus nostris particulas, quæ in cavitatibus, instar calculi solidi, concrecant in lapillos, quos pro sua reformandi & fingendi libertate vocavit *Ludos*. Notum verò est huic *Paracelsi* sententiæ acriter sese opposuisse *Helmontium*, qui in conscripto hanc in rem tractatu de *Lithiasi* totus in eo est, ut præten dat, tartarum illum non dari, in statu neque naturali neque præternaturali deprehendi: Esse verò *spiritum* quendam, qui apprehendens *terram volatilem*, qualis aliàs urinæ in primis incola, cum ipsa *coalescit*, ut quasi duobus sexibus concurrentibus connexio penitissima oriatur. Rem exemplo declarare volens considerare jussit *offam*, quæ in momento temporis concrescit & obtinetur à commixtis invicem spiritu volatili urinoso & vinoso inflammabili.

Mearum non est partium tantas componere lites; nec conciliare litigantes, nec vel excusare vel redarguere *Helmontianam* *offam* constitui. Satius esse judico paucis declarare  
mentem

mentem meam, & quid ego sentiam, proponere. Scilicet meo quidem tenui iudicio acidum aliquod præternaturale coagulat particulas humorum alcalinas, imprimis si particulae istae adhuc multis moleculis terreis sint remixtae, unde etiam corpus postea generatur compactius. Ita quidem facile, spero, dispalescet, cur in illis locis, in quibus alcalia abundant, frequentius progignantur calculi, exempli gratia in renibus, & vesicula biliaria. Scilicet, ut renis & vesicae calculum sicco pede prætereamus, bilis nimium alcalina & particulis terreis referta coagulatur ab acido quodam peregrino, cujus frequentem praesentiam testatur experientia non una. Unde minimè necessarium esse ducimus advocare *Spiritum* aliquem *Gorgoneum* lapidificum, vel ad *calorem* exsiccantem atque *frigus* nimium constringens provocare, aut *Spiritus urinae* aberrationem & cum bile commixtionem fingere; Siquidem haec omnia obscuris modò terminis rem involvunt, nec ullum discipulis conceptum clarum suppeditant.

Interim posita hoc modo causa proxima efficiens non excludit alias antecedentes & remotiores, quas breviter modò recensere meretur *temperamentum*, quod in nostro subiecto accusavimus cholericum-melancholicum, quippe quod bilis abundantiam & humorum acidorum terreis fixis particulis refertorum lentorem, & ad concreciones ejuscemodi dispositionem facilem infert. Uti similiter ex non naturalibus suam quoque operam partemque contribuerunt *alimenta*, prava vitæ & vivendi ratio, quâ dum quævis alimenta, nullo prorsus habito delectu, egestas & necessitas nostram ingerere cœgit, fieri aliter non potuit, quin ciborum in ventriculo coctio turbaretur, chylus crudus generaretur, qui deinde cruditates parere, & ex cacochymia statum corpori & toti massæ

sanguineæ cachecticum inducere facilè omninò potuit. Equidem non spectat hæc nostra ad modernos delicatulos & gulosos, nec deliquit in voluptatibus, quas accusavit quondam *Seneca* in Epist. *Non erat olim necesse, inquiens, circumspicere multa auxiliorum genera, cum essent periculorum paucissima. Nunc verò quam longè processerunt mala valetudinis? Has usuras voluptatum pendimus, ultra modum fasque concupitarum. Innumerabiles esse morbos non mirabere, coquos numerata. Quàm celebres culinae sunt? Quanta circa nepotum focos juvenus premit? Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos, signo dato, ad inferendam cœnam discurritur. Quantum hominum unus venter exercet?* Nihilo tamen secius, quemadmodum pauperibus & mendicis solenne est, postquam aliquandiu caruerunt cibo, & famem sustinuerunt, siquidem deinde potantur illo, avidius ingerere & nimia ejusdem copiâ ventriculum prægravare, ut distensus vim roburque suum & elaterem, ad concoctionem illorum, sæpe crudorum, maximè necessarium, amittat, totumque chylicationis negotium pervertatur; Ita procul dubio etiam hæc nostra frequentius hoc ipso modo peccavit, postea verò tristem quoque proverbii veritatem in suo corpore experta est: Vitium primæ coctionis non corrigitur in secundâ, multò minus in tertiâ. Aurem mihi inprimis vellicat mos patrius, & consuetudo apud nos recepta, vi cujus faciles adèò ac frequentes sumus in diætâ lacteâ. Notum enim est, quòd calculi proventus fieri uberius & concretio facilius prætendatur ab Authoribus in illis maximè, qui *lactis* atque *casei* ingluvie delectantur, à quibus quippe succi lapidescentes ampla incrementa capiunt, & tanquam in ubere terra feliciter succrescunt. Videtur equidem lac propter serum butyrumque partim abstergere, partim emollire, & acria salium spicula involvere ac irretire: Attamen propter particulas caseosas, salinas & tartareas futuro calculo largam suggerit

rit materiam , adeò , ut suo jam tempore *Hippocrates* dixerit : Calculi principium ex lacte oritur , ubi puer lac impurum ex mamma sugit ; si quid enim in lacte non purum fuerit , illud in vesica fit lapis. Sed lacte adhuc nocentior est caseus , qui propter tartareas salinas particulas sanguinem inquinat , sitim excitat , alvum adstringit , ac consumptis roscidis particulis materiam calculosam largiter suppeditat.

Cibus potum postulat. *Potum* ergò paucis etiam subjungo. Quemadmodum verò penuria non concedit æque pauperibus *vinum* pro potu ordinario , multò minus generosum aliquod obtingit illis , sed , si quidem aliquando ipsis vinum degustare liceat , tum plerumque austerum illud , vile , acidum & recens adhuc esse solet , quod , siquidem forsan insuper in terra limosa vel argilloso succereverit , materiam calcariam , tartaream & lapideam subministrare , & ad angustias tubulorum vasorumque deponere facile poterit : *Aqua* verò similiter passim malè audit , & variis impuritatibus scaterere , modò limosas terræ sordes , modò calcarias saxorum particulas , modò simul metallicas & salino acidas pyritæ germinantis moleculas secum vehere dicitur. Qualibus omninò contentis adscribere debemus uti *Scelotyrben* & *Stomacacen* , quibus Imperatoris Germanici exercitus à potu fontis maritimi olim infectus fuit , referente *Plinio* in sua *Historiâ Naturali* ; Ita etiam celebrem calculorum proventum , quem ab aquâ *Padi* potâ observant atque dolent scriptores Itali.

Ut *animi pathematum* quoque mentionem faciamus monent nos dicta nostræ & exposita hæctenus vitæ conditio misera , tenuis , paupercula. Quemadmodum enim temperamentum melancholicum per se inclinatur ad tristitiam & metum ; Ita si accedat ipsi insuper eurtæ domi supellex , continua de conquirendo pane sollicitudo , quin de illo obtinendo , adeoque

vitâ sustentandâ, anxia quandoque desperatio, non potest non sanguinis circulus languescere, concoctionum ordo feriari, blandum & nutritium consumi, secretiones verò & impuritatatum excretiones intermitteri, adeoque corpus iners torpidum ac cachecticum tandem fieri, crassiores autem per naturam suam & facilè lapidescentes particulæ concreſcere.

Quemadmodum verò causæ, rudi penicillo hætenus delineatæ, frequentes omninò sunt, & longè tamen adhuc majori aliarum numero superantur; Ita dolendum est quam maximè, correspondere fœcundo huic causarum numero non minus frequentem calculorum in corpore humano provenitum. Duodecim sibi saltem cognita calculorum genera edito peculiari de calculis libello recensuit quondam *Kentmannus*. Nec ferè pars est nostri corporis, in qua non concretum habeamus calculum, si modò historiis medicis fides haberi potest.

Ita *crassa meningi* juxta torcular firmiter adhærescentem materiam lapideam rupis instar inæqualem & asperam, aculeis multis & veluti cati vel felis unguibus, conchyliis variisque figuris distinctam & variegatam, *Cattierius* recenset in obs. Med. In *glandula pineali* plurimas arenulas asperas, quæ propter magnitudinem calculi merebantur nomen, deprehensas *Regn. de Graaf* descripsit in *Misc. Nat. Cur.* Dec. I. A. I. O. 127. & à *Sylvio* observatas *Isbr. Diemerbræck* in *Anatom.* L. III. C. 6. In anteriori *ventriculo cerebri* lapidem albicantem deprehendit *Theod. Kerckringius* in puero, glandulâ pineali penitus destituta. Alium, duritie & candore silicis æmulum, ad dextram falcis partem sistunt *Misc. Nat. Cur.* D. II. A. I. O. 31. In *naribus*, sed bovinis, natum polypum saxeam, duos pugnos æquantem, se possidere quondam scripsit *Joh. Hadr. Slevogt*; & per *nares* emunctos calculos recenset *Bartholinus* C. I. hist. anat.

anat. 33. In & sub *lingua* repertos sistit obs. I. Scholion cum analectis ad *Misc. Nat. Cur.* D. I. A. III. uti etiam *Zacutus Lusitanus*, prax. admir. L. I. O. 78. In *auribus* notarunt ex *Jul. Casferio Placentino* de Org. Aud. C. 20. In *corde* visos calculos annotavit laud. *Zacut. Lusitan.* l. c. atque *Sachsus* in oceano macro-microcosmi, pag. 35. In *Pulmonibus* calculum facilè probant tusses lapidosæ, quas recenset modò laud. *Zacut. Lusitan.* l. c. & *Borellus* cap. I. obs. 67. In *ventriculo* non saltem hospitantur lapides bezoar, ex rupi capris petendi, verum etiam deprehensi sunt ventriculi humani fundo pertinaciter adhærentes, juxta epist. *Joh. Bilgeri* ad *Gr. Horstium*, & *Hæferi Hercul.* Med. T. I. L. III. c. I. Per *alvum* excretos collegit inprimis *Schulzius* in *Misc. Nat. Cur.* D. I. A. III. O. 136. & *Schrækius* D. I. A. IX. obs. 90. quibus addi possunt insuper non modò laud. *Misc. Nat. Cur.* Dec. II. A. V. O. 197. D. II. A. VII. O. 136. & 202. & 244. D. II. A. IX. O. 137. tandem D. III. A. III. O. 21. & ad ejusdem Dec. III. A. VII. App. p. 71. verùm etiam *virgo lapidicaca Bernensis*, quam in suo Apiario recenset *Joh. Jac. Harderus*, obs. 80. & ex medicina comparata *equus lapidicacus*, quem peculiari programme proposuit laud. antea *Slevogt*; cui etiam subordinari omninò merentur observationes tam *Wedelij* in *Misc. Nat. Cur.* D. I. A. III. nr. 246. quàm *Valentini* in *Mus. Musæorum* p. 439. In *mesenterio* concreti calculi tabis causa fuerunt fratrum *trigæ* in *Misc. Nat. Cur.* D. I. A. III. O. 307. In *pancreate* deprehensos calculos descripsit *Regn. de Graf*, tr. de succo Pancreat. cap. 7. & *Bonettus* in *Anat. pract.* L. III. Sect. X. O. 22. in Schol. In *utero* genitum fuisse calculum suo jam tempore testatus est *Hippocrates* Epidem. L. V. & *menses arenosos* recenset *Schneiderus* d. Catarrh. L. III. S. I. cap. 7. De *renibus* & *vesica* non est, quòd dicamus multa, quippe tortores istarum partium proh! dolor nimis quàm noti sunt & graves.

Extractum ex tumore humeri lapidem durissimum, ovi figuram referen-



referentem, recenset *Borellus* obs. 87. cap. I. Ex *abscessu* dextri *hypochondrii* prope umbilicum egressos citrinos sistit *Misc. Nat. Cur.* D. II. A. I. O. 5. In *tumore genu* externi multos, quasi in pera aliqua strepitum, si quidem commovebantur, edentes notavit *Rufus* obs. 5. *Sudorem arenularum* manipulatim collectarum observavit *Bartholinus* C. I. *Histor. anat.* 34. *Arteriarum lapidescentium* vel *ossescentium* exempla habemus non saltem in cervis, testimonio ossis, quod *κατεξοχὴν* de corde cervi vocatur in officinis pharmaceuticis, verum etiam in hominibus, prouti testatur *Car. Piso* d. seros. colluv. *Nic. Tulpius* in suis obs. *Joh. Rhodius* in obs. & in primis *Misc. Nat. Cur.* D. III. A. III. App. quibus coronidis loco addi potest erudita omninò Disputatio quam ante paucos annos dedit publico *Exc. Dn. D. Salzmannus* sub tit. de ossificatione præternaturali. Ut nihil dicam de stupendis exemplis illis, quibus vel totum corpus in lapidem concrevisse constat ex historia *fætûs Mussipontani*, extra uterum in abdomine reperti & lapidifaceti, cum quâ conferri meretur *Schenkius* L. IV. atque *Joh. Alb. Hæduus* in pecul. tr. vel integras tamen partes nostri corporis lapideam duritiem induisse novimus, prouti legimus in *Misc. Nat. Cur.* Dec. I. A. I. & *Barthol.* C. 6. *hist. anat.* 91. *Cerebrum bovinum petre factum*; apud *Dolæum* in *encycl. Med.* L. III. cap. 13. *Renem lapideum*; apud *Heurnium* *mammæ saxæas*; apud *Borell.* obs. *phys. Med.* cap. I. *vesicam urinariam* ferè integram, & apud *Fernelium* d. *part. morb.* & *sympt.* *vesiculam felleam* totam in lapidem concretam.

Hoc saltem mirum videtur, posse ejusmodi calculos quandoque diu in corpore delitescere, nec ullum sui præbere indicium, prouti testantur non modò multæ ex historiis supra allegatis, verum etiam ipsi biliaræ vesicæ calculi, quibus, quamdiu in matrice sua quieti jacent, communi practitorum consensu signum vel indicium pathognomonicum & infallibile

non datur ? Ubi tamen negari nequit, suspensionem omninò latentis calculi præbere partim continua & quandoque ferè intolerabilia dextri hypochondrii tormina, ibi præcipuè, ubi ductus choledochus duodeno inseritur, vomitus frequentes biliosi, alvi durities, & calculorum, si per alvum quidem excernantur, biliosus color totam ferè substantiam penetrans: partim verò & in primis quidem jctærum gravem ac diuturnum, vel colorem tamen faciei, quin totius ferè corporis, luridum & flavum, qui medicamentis, quandoque etiam efficacissimis, adhibitis non cessat; prouti expressis verbis testatur *Hoffmannus* in Disput. de Jctæro; & confirmant *Misc. Nat. Cur.* ubi Dec. II. A. VI. O. 194. recensetur historia militis, qui post diuturnum in regione hepatis dolorem, præ quo nec erectus stare, multò minus ambulare potuit, sed in lecto semper incurvatus sedere necessum habuit, tandem in cystide fellea exhibuit calculum semunciam pondere superantem.

Utinam facilius procederet Therapia! Hæc apud nostram fuit irrita & frustranea, quæcunque, cæteroquin etiam usu probata multiplici, adhibuit Medicus, scopo in primis corrigendi vitiosam humorum diathesin, depurandi massam sanguineam & roborandi viscera.

Scilicet quemadmodum in curatione morborum primum est vitare causas occasionales & disponentes omnes, concretio autem calculorum talium deducta à nobis est in superioribus maximè ab alimentorum vitio; Ita quilibet etiam facillè videt, curam potissimum in eo consistere, ut alimenta, quæ prius ad calculum disponere fuerunt dicta, vitentur, usus rerum non naturalium legitimus prudenter dirigatur, tonus viscerum confortetur, digestiones in primis viis atque massâ sanguineâ promoveantur, ventriculus & intestina ab impuritatibus liberentur, obstructions viscerum secretiorum præcaveantur, aut

jam factæ tollantur , atque tandem depurationes sanguinis restaurentur ; calculi verò jam concreti , atque forsan indurati , dissolvantur atque foras è corpore eliminentur.

Quod postremum quidem num præstare possit Medicus per *decoctum radices graminis* , atque *Spiritum nitri dulcem* , prouti promittit *Sylvius* , in *Prax. Medic.* L. I. C. 45. vel per *radicem curcumæ* , quam commendat *Hoffmannus* , in *clav. pharm.* L. IV. S. I. §. 129. vel per *bulithos* illos in boum ac porcorum felle , aut hystricum Indicarum ventriculo repertos , prouti legitur in *Misc. Nat. Cur.* Dec. I. A. III. obs. 283. aliorum , & in praxi exercitatorum , iudicio vel tentamini etiam , relinquo.

F I N I S.

*D. T. O. M. Sit Laus Honos & Gloria.*



# Nobili & Præclarissimo Domino Candidato

S. P. D.

P R Æ S E S.

**Q**uandoquidem laudabili proposito Disputa-  
tionem Inauguralem proprio Marte conscri-  
bere, eamque Autopsia atque Observationi  
propria superstruere Tibi placuit; non potui non  
approbare egregium hunc conatum, quò ea, que  
apud Excellentissimum Avunculum oculis, ani-  
moque hausisti præcepta, incipis ad futura Pra-  
xeos, (quam auspiciatam velit esse Archiater su-  
premus) feliciorum successum unice dirigere. Hæc  
enim Studiorum Tuorum meta, hic scopus est,  
Patriæ, proximoque inservire omni opera, Studio-  
que. Poterat Tibi Historia morbi proposita am-  
plioris scripti præbere materiam, si ad istam quo-  
que manus morbosæ cariem, cæteraque Sympto-  
mata penitus enucleanda applicare animum tem-  
poris angustia constrictum licuisset; poterat quo-  
que earum, quas magno agmine allegas, concretio-

num differentias, easque cum primis, quæ à vesicæ  
renumque calculis distinguunt tum originis, tum  
substantiæ ratione lapillos dictos felleæ cystidis, pe-  
nitius determinare; Neque verò id ipsa tempo-  
ris, atque instituti laudatissimi ratio permisit;  
cum totus jam Tibi animus sit in Nosodochiis Gal-  
lorum Celeberrimis, quibus ubi diu satis in com-  
moda Tua solidissima fueris usus, felici Te Deus  
itinere per omnes quas dehinc adieris terras be-  
nignissimè deducat, ut compleas spem patriæ,  
Honoratissimi Parentis, Magnique Avunculi,  
Per-Illustris Domini Bar. à Brunn (cui fortuna-  
tum Deus senium, viresq; præstet integras.) Hu-  
jusque premens vestigia ad culmina artis fausto  
Sydere ascendas, divina benedictione felicissimo  
Præxeos exercitio largissimè adspirante. Ita  
vale, Tuasque res omnes age  
feliciter!

**S** Tirpe fatus Medicâ, genuina edoctus in Arte  
Præcepta, in praxi spero secundus eris.

*Hicce Perindustrium Dn. Auditorem suum dimittit,  
& propitios viales Ipsi precatur*

ALEXANDER CAMERARIUS, D.

---

**A** Rchiater Christus, vitæ melioris & Author  
Et Princeps, nunquam desit Amore *Tibi*.  
*Is Lapidem* tollat, qui nostræ *Petra* salutis,  
Vulnera pro nobis qui tulit atque crucem.

Quot { *Pisces* } habet Oceanus, quot Littus arenas,  
      { *Guttas* }

Tot *Tibi* det Gazas & bona dona *Deus*.

In *Te* latentur per plurima lustra *Parentes*;  
Sis, *Fischere*, *Tux* stella decusque domus.

Vivant *Brunneri* Tecum, quos cultior Orbis,  
Ut fas est, dudum diligit atque colit.

Sic his in *Terris* *Tua Gens* clarissima crescit  
Ac quondam in *coelis* percipit omne bonum!

**D** Er { *starcke* } Seelen-Arzt / dem auch der Tod gewichen /  
      { *weise* }  
      { *treue* }  
Als er voll Lieb und Huld vor uns am Kreuz erblichen /  
Laß sie / mein werther Freund! nie ohne Segen seyn  
Und hebe immerdar die grosse Sorgen-Stein.

Der Fels des Heils / von dem die Gnaden-Ströme fließen /  
Quill' Lebens-Balsam aus und lasse Sie genießen  
Biel gutes erstlich hier in dieser kurzen Zeit /  
Und dann nach manchem Kampff dort in der Ewigkeit.

Es freuen sich mit mir die Eltern so sie ehren  
Und mit besonderm Fleiß Ihr Trost zu seyn begehren.

Das Fischerisch Geschlecht und Brunnerisch mehr' sich  
So lang die Erde steht und lebe ewiglich.

Als Herr Candidat FISCHEK von den Steinen  
rühmlich pro Licentia in Tübingen disputirte/wollte  
diesem seinem wehrtesten Freund und Tischgenossen  
wegen nützlich, angelegter Zeit und gesegneter Vol-  
endung seiner Academischen Studien von Herzen  
hiemit gratulieren / auch Ihme und seiner vornehmen  
FAMILIE alles beständige / fernere wahre Wohler-  
gehen/ nebst seiner Recommendation, gebührend an-  
wünschen

GEORG CONRAD PREGIZER, Prof. Theologiae  
und Histor. Sacrae Honorarius, auch Aelterer  
Abend, Prediger.

---

Glück zu! Geliebter Freund! Man hört heut von Dir  
Proben /  
Daß Jeder billich soll mit mir Dich höchstens loben /  
Dann Du beweisest heut / daß die Gelehrsamkeit  
In Deiner Edlen Brust sich ihren Sitz bereit.  
Nimm von Hygeia an die Hohe Doctors- Würde /  
Die Du Dir nun erlangt durch Deiner Weißheit Zierde/  
Und Fische gleicher weiß Dir einen schönen Schatz.  
Sonst gönne ferner mir bey Deinen Freunden Platz!

Mit diesen geringen Zeilen gratuliret seinem Wehrtesten  
Freund von Herzen zu abgelegten Specimine seiner  
Gelehrsamkeit / und dardurch erhaltenen Licentia Do-  
torandi, und empfehlet sich Desser beständiger Ge-  
wogenheit

Sein ergebnester Diener und Freund  
Georg Friderich Gutermann/Bragoduno-Suev.  
Med. Stud. Opp.

**D**Um fellem & lapides Tua dissertatio monstrat,  
Ingenium vivit, Linguaque melle fluit.

*Clarissimo Domino Respondenti gratulabundus  
accinit*

**CHRISTOPHORUS FRID. SCHNEPFFIUS**  
Opponens.

**F**reundt! weil Er so gelehrt von seltnen Steinen spricht /  
So werden sich die Stein auch nicht undanckbar weisen;  
Gleichwie deß Künstlers Faust den zarten Marmor bricht  
Wann dort die Nachwelt soll der Helden Thaten preisen  
Ich seh' schon / wie sein Nahm in Gold und Porphyrr glänzt /  
Da man die Stein schon izt mit weichem Lorbeer kränzt.

*Hiemit wollte seinem hochgeschätzten Hrn. Commensali  
seine ganz ergebenste Gratulation contestiren  
Dessen ganz gehorsamster Freund  
und Diener*

**Jacob Ehrhart / Patricius Memmingensis.**

**G**ratulor ex animo Studiorum rite peractum  
Cursum, jam jam TE præmia digna manent.  
Sit quoque sic felix TUA Praxis, & omne, quod optas!  
Sic Tu contentus: Sic ego lætus ero.

*Hacce, amico suo præstantissimo, in Cathedra optime,  
absoluto studiorum cursu, stanti, in ulteriorem sui  
commendationem, & pristinae amicitiae conservatio-  
nem, gratulabundus apponere voluit*

**M. JOHANNES ANDREAS FROMMANN,**  
Theologiæ Studiosus.

**W**är mein Verstand so hoch / als unsre Schweizer-Berge  
So würd' ich Deinen Wiß / heut nach Verdienst er-  
höhn.

Ich ist mein Wunsch zwar groß / doch mein Verstand ein  
Zwerge /

**Ich**



Ich seh' erstaunt die Kunst / aus Deiner Feder geht.  
Nur also werd' ich einst / Dich Grosser Gönner ! loben /  
Wann man die Schweizer mir / einfältig schelten will.  
Geh't / tumme Neider geh't / seh't Fischers edle Proben /  
Geh't wie ihn Phoebus krönt / was gilts ihr schweiget still.

Hiermit empfiehlt sich dem gewogenen Andenken  
seines Geehrtesten Herrn Landsmanns / dessen  
gehorsamster Diener

VICTOR ALBERTUS HALLER /  
Med. Stud. Helv. Bernas.

---

**T**E, Fischere! DEus ducat virtute per orbem,  
Sic bene ductus eris, sic benedictus eris.  
Vive valeque diu, felicibus utere fatis,  
Omnia fausta Tibi, prospera cuncta precor.

Hæc Nobilissimo ac Præclarissimo Domino Can-  
didato, Fautori & Amico suo æstumatissimo,  
gratulabundus posuit.

CHRISTIANUS ULRICUS PRÉGIZER. Phil. St.

